An. et vol. XCV | 8 Septembris 2003 | N. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE DECRETALES

quibus Petro a S. Iosepho Betancur sanctorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

« Ut filii lucis ambulate » (*Eph* 5, 8).

Beatus Petrus a S. Iosepho Betancur, cum maxime optaret ut lucis fides in Novae Continentis gentes deferretur, in divinae Providentiae fiducia inconcusse nisus, Atlanticum oceanum transiit, ut illis incolis salutarem Christi nuntium comportaret, qui vera est lux quae illuminat cunctos homines (cfr *Io* 1, 9), quique eos sibi sociari vult.

Dei Servus Ninguariae, quae una est e septem Fortunatis insulis, anno MDCXXVI ex humili piaque domo ortus est. Puer et adulescens parentes in agrorum operibus iuvit atque aetatis ex primis temporibus in precandi studium liquide se inclinabat. Cum deteriores condiciones cognosceret in quibus Americae incolae versabantur, illuc accedere voluit eorum aerumnas levaturus itemque Evangelii Nuntium cum iis communicaturus. XXIII annos natus profectus est: primum Cubam adiit, tum Honduriam, tum denique Guatimalam. Se impelli sensit ad sacerdotium adipiscendum, atque spiritalis moderatoris suasu necessaria studia sibi sumpsit. Humilis et in pietatis exercitia intentus ceterorum discipulorum sibi conciliavit aestimationem. Illo tempore ad solamen aegrotis ferendum valetudinaria adire solebat. Licet animum in humanas disciplinas intenderet, ea quae sperabat non obtinuit ideoque a sacerdotii suscipiendi proposito recedere debuit, at non concidit animo. Precationes magis frequentavit, ut intellegeret ad quem vitae statum a Domino vocaretur. Vo-

cationem animadvertens ad vitam suam Christo consecrandam, mense Ianuario anni MDCLV uti laicus Tertium Ordinem Franciscalem ingressus est, quem vitae operumque sanctitate collustravit. In Calvariae Sanctuarium se recessit, ubi aeditui officium gessit. Ut religionis ignorationem cognovit inibi incolarum potissimum puerorum, catecheticam institutionem eis comparavit. Eodem tempore pauperum condicionibus sublevandis operam dedit, divites adhortans ut quaedam eorum bonorum pars indigentibus destinaretur. Anno MDCLVIII domum constituit quandam quae catechesis esset sedes pueris desertis, locus peregrinis discipulis recipiendis, domicilium pauperibus valetudinem recuperantibus. Socios quoque in hac opera adiutores quaesivit, quos facile invenit, cum eius vitae mos eloquentior esset quam quodvis verbum, et omnes qui ad eum accedebant ad colendam hortabatur virtutem. Primo ex hoc manipulo, Ordinem Bethleemitam condidit, cuius sodales apostolicis muneribus agendis se tradebant ac simul precationis ac paenitentiae operi. Haec nova sodalium familia, mortuo Beato, ab ecclesiastica potestate est comprobata. Dei voluntati obsequens suaeque vocationi fidelis in sanctimoniae semitis magis ac magis est progressus, altum in virtutum exercitio obtinens sanctitatis gradum. Ex continuata ferventique precatione vim hausit fidem erga Deum Patrem, Filium et Spiritum Sanctum usque testificandi. Suam spiritalem vitam per Incarnationis Passionisque Domini Nostri mysteriorum contemplationem aluit. Virginis Sanctissimae tutelae cunctam suam operam commisit, qui, ut popularem devotionem in Virginem Mariam augeret, piam Rosarii recitandi consuetudinem aliasque Mariales precationes inculcavit. Quamvis materialibus facultatibus careret, socialia et apostolica onerosa incepta Providentia innitens suscepit. In Deum dilectio eum in missionarium famulatum compulit, cum cunctam vitam Christi Regno effundendo commodaret. De spiritali fidelium salute sollicitus, adulescentes in christiana doctrina instituendos curavit itemque morituros, quibus aeternae beatitudinis spem demonstrabat, omnibus viribus suis sublevavit. Vias locaque decurrit, ut aerumnas omneque genus miserias leniret. Pupilli, captivi, mendici, infirmi ac peregrini ipsius fruebantur operibus. Homines qui eum conveniebant auxilia consiliaque petituri prudenter at sagaciter direxit. Se omnibus aequum praebuit atque Ecclesiae leges suique Ordinis regulas servavit. Perseveranter ac prudenter opera perfecit quae Dominus suadebat, omnibus neglectis impedimentis. Parcus cibi potionisque, necessariam tantum corpori concessit quietem ac voluptates asperam per paenitentiam cohibuit. Nullum sibi sed Deo uni tribuit de suorum operum prosperitate meritum. Evangelica consilia studiose tenuit atque in omnibus rerum adiunctis verum se exhibuit Sancti Francisci Assisiensis filium discipulumque. Ieiuniis confectus atque arteriarum pulmonumque inflammatione correptus die XXV mensis Aprilis anno MDCLXVII, sacramen-

tis infirmorum susceptis, e vita cessit. Eius propter latam sanctitatis famam anno MDCXCIII Processus Informativus incohatus est. His iure statutis perfectis rebus, die XXII mensis Iunii anno MCMLXXX a Nobis sollemniter Beati titulo est insignitus. Die VII mensis Iulii anno MMI Nobis coram decretum prodiit super miraculo. Faventibus Patribus Cardinalibus Episcopisque in Consistorio die XXVI mensis Februarii anno MMII coadunatis, statuimus ut canonizationis ritus in Guatimalensi urbe die XXX sequentis mensis Iulii ageretur.

Hodie igitur apud urbem Guatimalensem, inter sacra hanc elocuti sumus Canonizationis formulam:

En honor de la Santísima Trinidad, para exaltación de la fe católica y crecimiento de la vida cristiana, con la autoridad de nuestro Señor Jesucristo, de los santos Apóstoles Pedro y Pablo y Nuestra, después de haber reflexionado largamente, invocado muchas veces la ayuda divina y oído el parecer de numerosos hermanos en el episcopado, declaramos y definimos Santo al Beato Hermano Pedro de San José Betancur y lo inscribimos en el Catálogo de los Santos, y establecemos que en toda la Iglesia sea devotamente honrado entre los Santos. En el nombre del Padre y del Hijo y del Espíritu Santo.

Coram omnibus hominibus fulgens habetur exemplar praeclarus hic vir, qui totam suam exegit vitam ad Dei hominumque profectum naviter operando, quique humilioris ordinis potissimum dilexit cives atque inter ipsos continenter versatus est, salutifera Domini dona et Evangelii verba exhibens cunctis.

Quod autem decrevimus volumus et nunc et in posterum vim habere, contrariis minime officientibus rebus quibuslibet.

Datum in urbe Guatimalensi, die tricesimo mensis Iulii anno Domini bis millesimo altero, Pontificatus Nostri quarto et vicesimo.

EGO IOANNES PAULUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Loco ⊕ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 519.596

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

PORTUS GENTILIS

In Gabone nova conditur dioecesis Portus Gentilis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Cum petitum esset nuper ut metropolitana Sedes Liberopolitana in Gabone ita divideretur ut nova constitueretur dioecesis ad aptius provehendam aeternam salutem Christifidelium ibidem degentium eorumque regimini efficacius consulendum, Congregatio pro Gentium Evangelizatione omnibus mature perpensis habitoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Marii Roberti Cassari, Archiepiscopi titulo Truentini atque in memorata Natione Apostolici Nuntii, admotam postulationem censuit esse accipiendam. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris universae catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. Ab archidioecesi Liberopolitana separamus territorium Provinciae civilis, quae patrio sermone nuncupatur «Ogooué-Maritime»; ex eoque novam dioecesim *Portus Gentilis* condimus, quam metropolitanae Ecclesiae Liberopolitanae suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus episcopalem sedem poni in civitate «Port-Gentil» atque templum ibidem exstans, Deo in honorem Sancti Ludovici dicatum, ad dignitatem cathedralis Ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum praedictus Venerabilis Frater Marius Robertus Cassari, qui, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis Congregationi pro Gentium Evangelizatione mittenda. Hanc denique Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die septimo mensis Martii, anno Domini bis millesimo tertio, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.

✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

CRESCENTIUS card. SEPE
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 536.865

II

MAKOKUENSIS

Nova in Gabone Praefectura Apostolica conditur Makokuensis appellanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Omnium de fidelium spiritali progressione solliciti, cuncta disponere volumus quae salutiferae veritatis praedicationem toto in terrarum orbe fovent. Nunc de gentibus cogitamus quae in Gabone commorantur quibus properamus institutionalia etiam offerre adiumenta ut Evangelium Christi quam efficacissime illa in dilecta terra nuntietur. Quapropter Congregationis pro Gentium Evangelizatione de sententia, audito favorabili quorum interest voto, adsentiente Venerabili Fratre Mario Roberto Cassari, Archiepiscopo titulo Truentino ac in Gabone Apostolico Nuntio, regionem civilem v.d. «Ogooué-Ivindo» a dioecesi Oyemensi distrahimus atque ex ista regione Praefecturam Apostolicam *Makokuensem* condimus eamque sollicitis curis dioecesis Oyemensis committimus. Haec omnia ad expedienda Venerabilem quem diximus Fratrem Marium Robertum Cassari destinamus, necessarias et opportunas ei tribuentes facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum. Re demum ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus minime quibuslibet obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die septimo mensis Martii, anno Domini bismillesimo tertio, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.

✠ Angelus card. Sodano
Secretarius Status

Crescentius card. Sepe
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 536.867

III

VELEZANA

In Columbia nova conditur dioecesis Velezana.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Ad satius providendum spirituali bono Christifidelium, Venerabilis Frater Georgius Leonardus Gómez Serna, O.P., tunc sacrorum Antistes Succursensis et Sancti Aegidii, audita Conferentia Episcopali Columbiana, ab hac Apostolica Sede petivit ut quodam distracto territorio a circumscriptione ecclesiastica sua nova dioecesis conderetur. Nos, praehabito faventi voto Venerabilis Fratris Beniamini Stella, Archiepiscopi titulo Midilensis et in eadem Natione Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi animarum saluti valde profuturae libenter concedendum esse putamus. De plenitudine igitur Nostrae potestatis sequentia decernimus. A dioecesi Succursensi et Sancti Aegidii separamus integrum territorium paroeciarum, quae patrio sermone nuncupantur: *Cristo Rey* in municipio *Albania*, *Nuestra Señora del Carmen* et *Nuestra Señora del Rosario* ad *Barbosa*, *San Antonio de Padua* et *Nuestra Señora del Carmen* prope *Bolivar*, *Ecce Homo* in loco *Chipatá*, *Santa Rita de Casia* apud *El Guacamayo*, *Santo Cristo* ad *El Peñón*, *San José* ad *Florián*, *Santo Cristo* ad *Guavatá*, *San Roque* in loco *Güepsa*, *Sagrado Corazón* in municipio *Jesús María*, *Nuestra Señora del Rosario* in municipio *La Aguada*, *Sagrado Corazón* in municipio *La Belleza*, *Nuestra Señora de la Paz* in municipio *La Paz*, *Sagrado Corazón* et *San Ignacio* in municipio *Landázuri*, *Santa Bárbara* in municipio *Puente Nacional*, *San Benito* in municipio *San Benito*, *María Auxiliadora*, *Santa Elena*, *San José* et *San Juan Bosco* in municipio *Santa Elena*, *Santa María Madre de la Iglesia*, *Santa Teresita del Niño Jesús* et *San Isidro Labrador* in municipio *Sucre* et *Santa María del Jordán* et *La Transfiguración* in municipio *Vélez* atque ex ita distracto territorio novam constituimus dioecesim *Velezanam*, quae iisdem limitabitur finibus, quibus praedictae paroeciae, simul sumptae, terminantur. Sic conditae Ecclesiae sedem in urbe *Vélez* ponimus, ibique exstans paroeciale templum, Deo dicatum in honorem Beatissimae Virginis Mariae « de las Nieves », ad gradum et dignitatem Cathedralis ecclesiae evehimus mandantes ut ibidem Capitulum Canonicorum, ad iuris

normam, instituatur. Praeterea dioecesim Velezanam suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Bucaramanguensi eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore eiusdem archidioecesis subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perficienda committimus memorato Venerabili Fratri Beniamino Stella vel, ipso a sede absente, illi, qui curat negotia Apostolicae Nuntiaturae in Columbia, eisdem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito Congregationi pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis, cum primum fas erit, mittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo quarto mensis Maii, anno Domini bismillesimo tertio, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.

✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

✠ IOANNES B. card. RE
Congr. pro Episcopis Praef.

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*
Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 540.016

IV

SS.MAE TRINITATIS IN ALMATA

In Cazakistania nova dioecesis Sanctissimae Trinitatis in Almata appellanda, erigitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Dilectae Almatensis catholicae communitatis spiritalem contuentes progressum et fidelium numerum constanter augentem, Nos laetantes festinamus ibidem novam dioecesim instituere. Ideo, re mature deliberata audito-

que voto quorum interest, Administrationem Apostolicam Almatensem ad gradum et dignitatem dioecesis extollimus Sanctissimae Trinitatis in Almata nuncupandae, eamque facimus metropolitanae Ecclesiae Mariae Sanctissimae in *Astana* suffraganeam eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi illius Sedis subiectum. Novam dioecesim volumus iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione esse obnoxiam. Sedem novae dioecesis in urbe vulgo « Almaty » ponimus, ecclesiam vero sub titulo Sanctissimae Trinitatis in eadem urbe exstantem ad gradum Ecclesiae cathedralis evehimus, iuribus ac privilegiis concessis quae ad eiusmodi templa spectant. Quod autem ad novae dioecesis pertinet regimen, bonorum ecclesiasticorum administrationem, sede vacante administratoris electionem, alumnorum Seminarii institutionem, fidelium iura horumque similia, serventur quae sacri canones praescribunt.

Haec autem, quae praescripsimus, committimus perficienda Venerabili Fratri Iosepho Wesołowski, Archiepiscopo titulo Slebtensi et Nuntio Apostolico in Cazakistania, vel, absente eo, illi qui negotia curat Apostolicae Sedis in eadem regione, ac omnes eis tribuimus necessarias et convenientes facultates, etiam subdelegandi quemvis virum in dignitate ecclesiastica constitutum, onere imposito ad Apostolicam hanc Sedem sincerum actus effectae exsecutionis exemplar sedulo mittendi.

Has denique Litteras Nostras ratas et firmas esse nunc et in posterum volumus, quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo septimo mensis Maii, anno Domini bismillesimo tertio, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.

✠ Angelus card. Sodano
Secretarius Status

Crescentius card. Sepe
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*
Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 540.444

V

SANCTAE MARIAE IN ASTANA

In Cazakistania Provincia ecclesiastica conditur et Administratio Apostolica Astanansis ad gradum dignitatemque archiepiscopalem et metropolitanam evehitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

In Cazakistania fidelium copiam confirmari laetantes cernimus atque ut ii usque volumus floreant et Christi salutem omnibus exhibeant, ad quorum salubriorem prosperitatem ecclesiastica instituta aptare properamus. Itaque, Apostolicae Nostrae potestatis usi plenitudine, Provinciam ecclesiasticam in Cazakistania erigimus pariterque Administrationem Apostolicam Astanansem ad gradum dignitatemque archidioecesis metropolitanae *Sanctae Mariae in Astana* evehimus, cuius archiepiscopalis sedes in urbe Astanansi locabitur et templum sub vocabulo « Matris a Perpetuo Succursu » in eadem urbe situm ad dignitatem ecclesiae cathedralis extollitur, cui exinde sedi nectentur dioeceses Almatensis et Karagandansis necnon Administratio Apostolica Atirauensis, veluti suffraganeae Sedes. Ad haec omnia exsolvenda Venerabilem Fratrem Iosephum Wesołowski deputamus, Archiepiscopum titulo Slebtensem seu Sancti Fiaci inter montes, atque in Cazakistania Apostolicum Nuntium, facta videlicet facultate quempiam virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittantur, contrariis rebus minime officientibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die septimo decimo mensis Maii anno Domini bismillesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto et vicesimo.

✠ Angelus card. Sodano
Secretarius Status

Crescentius card. Sepe
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*
Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 540.446

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabilibus Servis Dei Nicolao Čarneckyj et XXIV Sociis martyribus Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — «Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat et consolatio nostra» (*2 Cor* 1, 5).

Venerabiles Servi Dei Nicolaus Čarneckyj et XXIV Socii, fideles Christi discipuli, contumelias acceperunt et vexationes omne genus, ac tandem mortem, ob tuendam fidem in Christum Salvatorem, cuius fortitudine et solacio fulciebantur.

Communismi athei insectatio in Catholicam Ecclesiam invecta eadem implacabili saevitia eos diversimode percussit. Dum alii in insidias inciderunt, alii in sovieticis locis captivitatis plures per annos sunt clausi et prae susceptis cruciatibus mortem obierunt sive in iisdem locis sive extra. Omnes autem unanimes se ostenderunt in fortitudine qua vitam obtulerunt usque ad sanguinem effundendum, ut cum Summo Pontifice suisque pastoribus coniuncti manerent. Hi gloriosi martyres sua conversatione amorem fortiorem esse morte sunt professi. Ecce nomina horum Evangelii testium:

1. Nicolaus Čarneckyj, 74 annorum aetatem habens, Congregationis SS.mi Redemptoris sodalis, Episcopus titulo Lebediensis, Exarchus Apostolicus locorum *Volyń* et *Pidljashja*; post aliquos annos acerbissimae custodiae, Leopoli martyrium consummavit die II mensis Aprilis anno MCMLIX.

2. Gregorius Khomyšyn, 78 annos natus, Episcopus Stanislaopolitanus, in valetudinario carceris urbis *Kioviae* gloriosam obiit mortem die XXVIII mensis Decembris anno MCMXLV.

3. Iosaphat Kocylovskyj, 71 annorum, Ordinis Basiliani S. Iosaphat sodalis, Episcopus Premisliensis; in publicae custodiae campo loci *Čapaivca*, Kioviensi in regione, ad Dominum migravit die XVII mensis Novembris anno MCMXLVII.

4. Simeon Lukač, 71 annos natus, Episcopus Ecclesiae Graeco-Catholicae Ucrainae «clandestinae». Ob carceris cruciatus gravi in morbo versans ad mortem ductus est in pago *Starunya*, regionis Stanislaopolitanae, die XXII mensis Augusti anno MCMLXIV.

5. Basilius Velyčkovskyj, 70 annos natus, Congregationis SS.mi Redemptoris sodalis, Episcopus Ecclesiae Graeco-Catholicae Ucrainae « clandestinae ». Valetudine eius in deterius vertente ob vexationes quas subierat, spiritum Deo reddidit anno MCMLXXIII die XXX mensis Iunii in urbe *Vinnipega*, in Canada.

6. Ioannes Slezyuk, 76 annorum aetatem gerens, Episcopus Ecclesiae Graeco-Catholicae « clandestinae ». Acerbis cruciatibus in carcere correptus, in urbe *Ivano-Frankivsk* martyrium subiit die II mensis Decembris anno MCMLXXIII.

7. Nicetus Budka, 72 annos natus, Episcopus Exarchus pro Catholicis Ucrainis in Canada. In Christi pace quievit die XXVIII mensis Septembris anno MCMXLIX in campo publicae custodiae Karadzarensis, in urbe *Karaganda*, Cazakistaniae.

8. Gregorius Lakota, LXVII aetatis annum agens, Episcopus titulo Daoniensis, Auxiliaris Premisliensis. Ad martyrii palmam pervenit die V mensis Novembris anno MCML in campo publicae custodiae loci *Abez*, in Sibiria.

9. Leonidas Fëdorov, 55 annos natus, Exarchus Catholicorum Russicorum ritus Byzantini, Sacerdos Studita. Ob morbos quibus in carcere affectus est in Domino requievit die VII mensis Martii anno MCMXXXV in urbe *Vjatka*, nunc Kirov in Russia.

10. Nicolaus Konrad, annorum 64, Presbyter archidioecesis maioris Leopolitanae. A militibus bolscevicis interfectus est die XXVI mensis Iunii anno MCMXLI in silva loci *Birok*, prope *Stradch*, in provincia Leopolitana.

11. Andreas Iščak, 53 annos natus, Presbyter archidioecesis maioris Leopolitanae. Ex parte militum bolscevicorum martyrium sumpsit die XXVI mensis Iunii anno MCMXLI Leopoli in pago *Sykhiv*.

12. Romanus Lysko, XXXV annum agens, Presbyter archidioecesis maioris Leopolitanae. In carcere urbis *Leopolis* pro Christo sanguinem effudit die XIV mensis Octobris anno MCMXLIX.

13. Nicolaus Cehelskyj, 54 annos natus, Presbyter archidioecesis maioris Leopolitanae. In campo publicae custodiae loci *Javas*, stationis Potmae in Mordovia quondam sub imperio Unionis Sovieticae, die XXV mensis Maii anno MCMLI martyrium consummavit.

14. Petrus Verhun, 67 annorum aetatem habens, Presbyter archidioecesis maioris Leopolitanae, Visitator Apostolicus pro Catholicis Ucrainis in Germania. Die VII mensis Februarii anno MCMLVII martyr occubuit in campo publicae custodiae loci *Angarsk*, prope *Krasnojarsk* in Sibiria.

15. Alexius Zaryckyj, 51 annos natus, Presbyter archidioecesis maioris Leopolitanae. In campo publicae custodiae loci *Dolinka*, Karagandae in Cazakistania, supremam obiit horam die XXX mensis Octobris anno MCMLXIII.

16. Clemens Šeptyckyj, annos natus 81, Presbyter Studita, Archimandrita Monasterii loci *Univ*. In carcere urbis Vladimirensis in Russia die I mensis Maii anno MCMLI martyrio coronatus est.

17. Severianus Baranyk, annorum 51 aetatem habens, Sacerdos professus Ordinis Basiliani Sancti Iosaphat. Exeunte mense Iunio anno MCMXLI est vita functus in carcere urbis *Drohobych*.

18. Ioachim Senkivskyj, annos natus 44, Sacerdos professus Ordinis Basiliani Sancti Iosaphat. Extremum duxit spiritum ultimis diebus mensis Iunii anno MCMXLI in carcere urbis *Drohobych*.

19. Zenon Kovalyk, 37 annorum aetatem habens, Presbyter professus Congregationis SS.mi Redemptoris. Anno MCMXLI mense Iunio exeunte animam efflavit in carcere urbis *Leopolis*.

20. Vitalius Vladimirus Bajrak, 39 annos natus, Presbyter professus Ordinis Basiliani Sancti Iosaphat. In carcere urbis *Drohobych* die XVI mensis Maii anno MCMXLVI vitam persolvit.

21. Ivanus Ziatyk, annorum 52, Presbyter professus Congregationis SS.mi Redemptoris, Vicarius Generalis Ecclesiae Graeco-Catholicae Ucrainae. In campo publicae custodiae oppidi *Oserlag* prope *Irkutsk* in Russia gloriosam obiit mortem die XVII mensis Maii anno MCMLII.

22. Tarsicia (in saec.: Olga Mackiv), 25 annos nata, Soror professa Congregationis Sororum Ancillarum a Maria Immaculata. A quodam milite Russico est interempta die XVIII mensis Iulii anno MCMXLIV in pago *Krystonopil*.

23. Olympia (in saec.: Olga Bidà), 49 annos nata, Soror professa Congregationis Sororum a Sancto Ioseph. Obviam Domino ivit die XXVIII mensis Ianuarii anno MCMLII in campo captivis custodiendis loci *Kharsk*, Tomisci in Sibiria.

24. Laurentia (in saec.: Leucadia Harasymiv), 40 annorum aetatem habens, Soror professa Congregationis Sororum a Sancto Ioseph. Ad Dominum migravit die XXVI mensis Augusti anno MCMLII in campo captivis custodiendis loci *Kharsk*, Tomisci in Sibiria.

25. Vladimirus Pryjma, 34 annos natus, Christifidelis laicus et pater familias. Sub militibus Russicis martyrium subiit die XXVI mensis Iunii anno MCMXLI in silva loci *Birok* prope *Stradch*, Leopoli.

Increbrescente martyrii fama, anno MCMXCVII Archiepiscopus Sedis maioris Leopolitanae Causam incohavit beatificationis seu declarationis martyrii. Expletis omnibus de iure explendis, Nobis coram Decretum super martyrio prodiit die XXIV mensis Aprilis anno MMI. Qua de re statuimus ut ritus beatificationis, occasione itineris pastoralis Nostri in Ucrainam, Leopoli perageretur die XXVII proximi mensis Iunii.

Hodie igitur Leopoli inter Missarum Sollemnia hanc protulimus formulam:

« Noi, accogliendo il desiderio dei Nostri Fratelli Lubomyr Cardinale Husar, Arcivescovo Maggiore di Lviv degli Ucraini, Ivan Semedi, Vescovo di Mukacheve di rito bizantino, Sofron Stefan Mudry, Vescovo di Ivano-Frankivsk (Stanislaviv) degli Ucraini e Mychajlo Koltun, Vescovo di Sokal degli Ucraini e di molti altri Fratelli nell'episcopato e di molti fedeli, dopo aver avuto il parere della Congregazione delle Cause dei Santi, con la Nostra Autorità Apostolica concediamo che i Venerabili Servi di Dio Mykola Čarneckyj e 24 Compagni martiri, Teodor Romża, Omeljan Kovč e Josaphata Hordashevska d'ora in poi siano chiamati Beati e che si possa celebrare la loro festa nei luoghi e secondo le regole stabilite dal diritto, ogni anno: il 27 giugno per Mykola Čarneckyj e 24 Compagni martiri, il 1º novembre per Teodor Romża, il 27 giugno per Omeljan Kovč e il 20 novembre per Josaphata Hordashevska. Nel nome del Padre e del Figlio e dello Spirito Santo ».

Consueta habita oratione de vita virtutibusque horum beatorum caelitum qui martyres occubuerunt, Nos Ipsi, animo laetanter commoti et admirantes tantam horum heroum alacritatem ad sanguinem pro Domini amore fundendum, summa devotione christianam eorum fortitudinem publice laudavimus et in adiutorium totius Ecclesiae adhuc in terra peregrinantis caeleste eorundem invocavimus patrocinium.

Quae autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim sortiri, contrariis rebus minime quibuslibet obstantibus.

Datum Leopoli in Ucraina, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Iunii, anno MMI, Pontificatus Nostri vicesimo tertio.

De mandato Summi Pontificis
✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 497.600

II

Servo Dei Aloisio Variara, sacerdoti S.D.B., Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Et venit ad eum leprosus deprecans eum et genu flectens et dicens ei: Si vis, potes me mundare. Et misertus extendens manum suam tetigit eum et ait illi: Volo, mundare. Et statim discessit ab eo lepra, et mundatus est » (*Mc* 1, 40-42).

Miseratio Iesu erga leprosum radix dici potest fuisse vocationis Servi Dei Aloisii Variara, qui totam impendit vitam leprosis levandis.

Natus est in Astensi pago vulgo *Viarigi* die XV mensis Ianuarii anno MDCCCLXXV; piissimi parentes christianis moribus educaverunt eum. Duodecim annos natus translatus est in locum *Valdocco* ut studia pergeret. Intensus contuitus, quem Ioannes Bosco, post tres menses obiturus, ad eum conicit, aditum aperit illi ad Oratorium, et ulterius ducet eum ad Societatem Salesianam Sancti Ioannis Bosco. Novitiatum incohat die XVII mensis Augusti anno MDCCCXCI et sequenti anno die II mensis Octobris coram beato Michaële Rua perpetua nuncupat vota. Duobus elapsis annis, ad missiones proficisci cupiens, in Columbiam destinatur ad pagum vulgo *Agua de Dios*. Inibi florentis iuventutis vires insumit pro octingentis aegrotis ibi degentibus, qui magni habent eius musicas dotes. Cantu, arte musica, symphoniaco coetu, spectaculis usus, laetitiam seminat in « urbe doloris » quam vocant. Sacerdotio insignitur die XXIV mensis Aprilis anno MDCCCXCVIII. In pastorali explendo opere conspicua spiritalique eminet prudentia, quae peculiarem in modum in sacro reconciliationis ministerio nota redditur. Detegens apud leprosas suas paenitentes desiderium Domino se vovendi, audacter cogitat de condenda religiosa Congregatione ubi mulieres lepra quoque correptae excipi possint. Ita initium capit Institutum Filiarum Sacrorum Cordium Iesu et Mariae. Eodem tempore strenue sese offert suis praedilectis leprosis, pro quibus condit Orphanotrophium « Michele Unia » cum scholis variis artificum.

Dum vero integris viribus actuositatem explicabat, amotus est ab illo pago *Agua de Dios* et translatus in diversas sedes suae Provinciae religiosae. Solida tamen fide suffultus, sereno animo percurrit illam acerbam « Viam crucis » (quae usque ad extremum spiritum protrahetur), omnino fretus « omnia a Deo procedere et ad Eum ducere », uti quodam die dixerat cum falso certior factus est seipsum lepra affectum esse. Per hanc immolationem plene conscius redditur se vividum perhibere testimonium charismatis Insti-

tuti a seipso conditi. Salesianae spiritualitati, quam pro iuvenibus vivit, adiungit spiritualitatem oblationis sacrificalis, quam uti notam peculiarem filiabus suis transmittit. Eius desiderium animas in « victimas » transformandi exemplo nititur Venerabilis Andreae Beltrami, martyris silentio patientis, quem in loco vulgo *Torino-Valsalice* cognovit annis MDCCCXCII-MDCCCXCIV. Die I mensis Februarii anno MCMXXIII vita fungitur in loco *Cucuta*, longe a leprosis et a filiabus suis, sicut ex oboedientia statutum fuerat; et a die XVII mensis Novembris anno MCMXLI exuviae quiescunt in sacello sororum eius in pago *Agua de Dios*.

Increbrescente sanctitatis fama, Archiepiscopus Bogotensis Causam incohat anno MCMLIX. Nosmet Ipsi die II mensis Aprilis anno MCMXCIII agnovimus virtutes eius heroico gradu exercitas esse. Apud Curiam archidioecesanam Taurinensem anno MCMXCVIII instructa est Inquisitio de quodam miro anno MCMLXXXIX patrato et intercessioni Servi Dei adscripto. Decretum de miraculo Nobis coram prodiit die XX mensis Decembris anno MMI. Idcirco statuimus ut ritus Beatificationis Romae perageretur die XIV mensis Aprilis anno MMII.

Hodie igitur in foro ante Patriarchalem Basilicam Vaticanam, intra Missarum sollemnia hanc protulimus formularum:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Michaëlis Cardinalis Giordano, Archiepiscopi Neapolitani, Iulii Sanguineti, Episcopi Brixiensis, Petri Cardinalis Rubiano Sáenz, Archiepiscopi Bogotensis, Caroli Iosephi Ñáñez, Archiepiscopi Cordubensis in Argentina, Marcelli Angeli Melani, Episcopi Neuqueniani et Administratoris Apostolici Viedmensis, et Romani Arrieta Villalobos, Archiepiscopi Sancti Iosephi in Costarica, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Caietanus Errico, Ludovicus Pavoni, Aloisius Variara, Maria a Transitu a Iesu Sacramentato, Artemides Zatti et Maria Romero Meneses Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Caietani Errico die vicesima nona Octobris, Ludovici Pavoni die vicesima octava Maii, Aloisii Variara die decima quinta Ianuarii, Mariae a Transitu a Iesu Sacramentato die vicesima quinta Augusti, Artemidis Zatti die decima quinta Martii, et Mariae Romero Meneses die septima Iulii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Praestabilis hic vir, quem Nos Ipsi debita sumus venerati devotione, totam suam vitam Domino Deo omnino addixit ac perquam studiose pauperibus inservivit, insignes praebens religiosae pietatis operumque bonorum testificationes. Exoptamus igitur ut huius beati caelitis patrocinio exemplis-

que homines qui nunc sunt transitura posthabeant et ad superna usque contendant.

Quae autem his Litteris decrevimus nunc et posthac rata et firma volumus esse, contrariis rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV mensis Aprilis, anno MMII, Pontificatus Nostri vicesimo quarto.

De mandato Summi Pontificis
✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 514.257

III

Venerabili Dei Servae Mariae Romero Meneses Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Hora est novae "inventionis caritatis", quae non tantum explicari possit secundum efficacitatem auxilii iam praestiti, verum etiam secundum facultatem adeundi proximum et solidarietatem exprimendi cum dolentibus, ita ut gestus auxilii non uti nummus indecorus, sed uti fraterna participatio censeatur. [...] Caritas *ex operibus* certissima vi confirmat caritatem *ex verbis* » (Ep. Ap. *Novo millennio ineunte,* 50). Caritatis iter a Nobis Ecclesiae tertii millennii propositum a sorore Maria Romero Meneses studiose ardenterque olim est effectum. Ipsa suam plene vivens vocationem consiliis Ecclesiae in Costarica adhaesit quae initio vicesimi saeculi veluti vox praebebatur socialis doctrinae ipsius Nostri Praedecessoris rec. mem. Leonis PP. XIII. Nata in urbe *Granadensi* Nicaraguae die XIII mensis Ianuarii anno MCMII a familia quadam altioris gradus optimam accepit spiritalem doctrinam humanamque institutionem. Annos XXI nata religiosa nuncupavit vota in Instituto Filiarum Mariae Auxiliatricis. Anno MCMXXXI in Costaricam missa est atque XLVI annorum spatio diligentem, multiplicem, potissimum spiritalem socialemque explevit navitatem. Curricula ordinavit formationis, ambulatoria medica, commorationes pro pauperibus: quae omnia soror Maria « opera Mariae Auxiliatricis » appellare solebat ut Beatae Mariae Virginis auxilium spiritaleque adiumentum significaret. Plurimos ad-

hortans ad industriam pro spiritali pauperum bono ipsa educationi in primis iuvenum, deindeque mulierum matrumque se dicavit. Evangelii nuntium christianamque catechesim multis tradidit, illis praesertim qui in angustiis vitae difficultatibusque versabantur. « Libenti animo — ipsa dicebat — omnem recuso consolationem, ut divina gaudeam consolatione solacium praebendi solacio egentibus ». Laboriosam omnino ducens vitae formam, singulari quidem modo per preces, adorationem mysticamque rationem nexum curavit cum Deo. Pie in Domino obdormivit die VII mensis Iulii anno MCMLXXVII. Sanctimoniae fama crebrescente post obitum Mariae Romero Meneses, Archiepiscopus Sancti Iosephi in Costarica indagationem initiavit dioecesanam de ipsius sororis vita, virtutibus et sanctitatis fama. Expletis diligenter omnibus legibus, Nos Ipsi die XVIII mensis Decembris anno MM pronuntiavimus hanc Dei Servam virtutes theologales et cardinales iisque adnexas heroum in modum exercuisse. Die XXIV mensis Aprilis anno MMI Nobis adstantibus super miraculo decretum prodiit quod eiusdem Venerabilis Servae intercessioni adsignatum erat. Decrevimus igitur ut beatificationis ritus Romae perageretur die XIV mensis Aprilis anno MMII.

Hodie igitur in Petriano foro inter Missarum sollemnia hanc protulimus formulam:

« Nos, vota Fratrum Nostrorum Michaelis Cardinalis Giordano, Archiepiscopi Neapolitani, Iulii Sanguineti, Episcopi Brixiensis, Petri Cardinalis Rubiano Sáenz, Archiepiscopi Bogotensis, Caroli Iosephi Ñáñez, Archiepiscopi Cordubensis in Argentina, Marcelli Angeli Melani, Episcopi Neuqueniani et Administratoris Apostolici Viedmensis, et Romani Arrieta Villalobos, Archiepiscopi Sancti Iosephi in Costarica, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Caietanus Errico, Ludovicus Pavoni, Aloisius Variara, Maria a Transitu a Iesu Sacramentato, Artemides Zatti et Maria Romero Meneses Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Caietani Errico die vicesima nona Octobris, Ludovici Pavoni die vicesima octava Maii, Aloisii Variara die decima quinta Ianuarii, Mariae a Transitu a Iesu Sacramentato die vicesima quinta Augusti, Artemidis Zatti die decima quinta Martii, et Mariae Romero Meneses die septima Iulii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. »

Eximia praeclaraque haec mulier insignes dedit religiosae pietatis operumque honorificorum testificationes. Pertinet ipsa ad spectabilem illarum

religiosarum coetum quae suaviter cunctos hortabantur, cunctis opitulabantur, cunctos spiritalibus praesidiis consolabantur. Ea ideo coram omnibus fulgens habetur exemplar, unde catholica fides et navitas usque proferantur et quam plurimos homines attingant.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV mensis Aprilis, anno MMII, Pontificatus Nostri quarto et vicesimo.

De mandato Summi Pontificis
✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 514.258

HOMILIAE

I

In beatificatione quinque servorum Dei.*

1. « Dio ha tanto amato il mondo da dare il suo Figlio unigenito; chi crede in lui ha la vita eterna ».[1] Queste parole della Liturgia dell'odierna terza domenica di Quaresima ci invitano a contemplare, con gli occhi della fede, il grande Mistero che celebreremo a Pasqua. È il dono pieno e definitivo dell'amore di Dio realizzato nella morte e nella risurrezione di Gesù.

Il Mistero della redenzione, al quale tutti i fedeli sono chiamati a partecipare, è stato vissuto in modo singolare dai nuovi Beati, che ho la gioia di elevare oggi alla gloria degli altari: Pierre Bonhomme, presbitero, fondatore della Congregazione delle Suore di Nostra Signora del Calvario; María Dolores Rodríguez Sopeña, vergine, fondatrice dell'Istituto Catechista Dolores Sopeña; María Caridad Brader, vergine, fondatrice della Congregazione delle Suore Francescane di Maria Immacolata; Juana María Condesa Lluch, fondatrice della Congregazione delle Ancelle di Maria Immacolata; László Batthyány-Strattmann, laico, padre di famiglia.

* Die 23 Martii 2003.
[1] Canto al Vangelo cfr *Gv* 3, 16.

2. « Le commandement du Seigneur est limpide, il clarifie le regard ».[2] Cela s'applique naturellement au père Pierre Bonhomme, qui trouva dans l'écoute de la Parole de Dieu, notamment des Béatitudes et des récits de la Passion du Seigneur, l'orientation pour vivre en intimité avec le Christ et pour l'imiter, guidé par Marie. La méditation de l'Écriture fut la source incomparable de son activité pastorale, en particulier de son attention aux pauvres, aux malades, aux sourds-muets et aux personnes handicapées, pour lesquels il fonda l'Institut des « Sœurs de Notre-Dame du Calvaire ». À l'exemple du nouveau Bienheureux, nous pouvons redire: « Mon modèle ce sera Jésus Christ, on se plaît à ressembler à celui qu'on aime ». Puisse le père Bonhomme nous encourager à devenir des familiers de l'Écriture, pour aimer le Sauveur et pour être ses inlassables témoins par notre parole et par notre vie!

3. « Yo soy el Señor, tu Dios, que te saqué de Egipto, de la esclavitud ».[3] La gran revelación del Sinaí nos muestra a Dios que rescata y libera de toda esclavitud, llevando después a plenitud ese designio en el misterio redentor de su Hijo Unigénito, Jesucristo. ¿Cómo no hacer llegar ese sublime mensaje, sobre todo, a los que no lo sienten en su corazón por ignorancia del Evangelio?

Dolores Rodríguez Sopeña palpó esta necesidad y quiso responder al reto de hacer presente la redención de Cristo al mundo del trabajo. Por eso, ella se propuso como meta « hacer de todos los hombres una sola familia en Cristo Jesús ».[4]

Este espíritu se cristalizó en las tres entidades fundadas por la nueva Beata: el Movimiento de Laicos Sopeña, el Instituto de Damas Catequistas, llamadas hoy Catequistas Sopeña, y la Obra social y cultural Sopeña. A través de ellas, en España y Latinoamérica, se continúa una espiritualidad que fomenta la construcción de un mundo más justo, anunciando el mensaje salvador de Jesucristo.

4. « Durante seis días trabaja y haz tus tareas, pero el día séptimo es un día de descanso dedicado al Señor ».[5] La lectura del Éxodo que hemos escuchado nos recuerda el deber de trabajar, para colaborar con nuestro esfuerzo en la obra del Creador y hacer así un mundo mejor y más humano. Sin embargo en el siglo XIX la incorporación de la mujer al trabajo asalariado

[2] *Ps* 18, 10.
[3] *Ex* 20, 1.
[4] Constituciones de 1907.
[5] *Ex* 20, 9.10.

fuera del hogar incrementó los riesgos para su vida de fe y su dignidad humana. De ello se percató la beata Juana Condesa Lluch, movida por su exquisita sensibilidad religiosa. Ella tuvo una juventud profundamente cristiana: asistía a misa diariamente en la iglesia del Patriarca, afianzaba su fe con la oración asidua. Así se preparó para entregarse totalmente al amor de Dios, fundando la Congregación de las Esclavas de María Inmaculada que, fiel a su carisma, sigue comprometida en la promoción de la mujer trabajadora.

5. « Nosotros predicamos a Cristo crucificado... fuerza de Dios y sabiduría de Dios ».[6] En la segunda lectura de hoy, san Pablo relata cómo anunciaba a Jesucristo, incluso ante quienes esperaban más bien portentos o sabiduría humana. El cristiano debe anunciar siempre a su Señor, sin detenerse ante las dificultades, por grandes que éstas sean.

ludis Brixiensibus docendae praefectus. Qui curam pastoralem paroeciae *Provaglio d'Iseo*, mox illius quoque *Torbole*, priore saeviente populorum conflictu, de mandato episcopali suscipiens, praecipue in familias militum et in aegrotantes homines sedulus ac beneficus exstitit pastor. Propter peculiarem fidem suam existimatione floruit Servus Dei apud superiores, qui nonnulla ei Curiae munera, scilicet Tribunalis dioecesani viceofficialis et synodalis examinatoris necnon librorum censoris, detulerunt. Temporibus extremis, nempe ab anno 1921 ad annum 1926, dioecesani Consilii Actionis Catholicae moderandae renuntiatus assessor, laicos ad apostolicam actuositatem evangelica prudentia direxit. Qui quamvis tenui valetudine exsisteret, nihilominus confratribus iuvandis, eorumque infirmorum muneri vicarius succedendo simul et animis in semitis Dei comitandis omni tempore praebuit se vacantem. Diutius atque impensius Servus Dei Seminario dioecesano operam navavit, qui inde ab anno 1904 usque ad annum 1930 in lyceo scholisque theologiae plurimas docuit disciplinas, videlicet philosophiam, mathematicam, socialem doctrinam, sociologiam, apologeticam et theologiam dogmaticam, cuius lauream Mediolani anno 1908 meruerat. Constanti subtilitate et diligentia singulas Servus Dei scholas accurate meditabatur, in explicando planus et purus et sobrius, erga discipulos aliosque magistros benignus et obsequens, in aestimationibus aequus, observandis temporibus religiosus, ad Ecclesiae magisterium superiorumque praecepta perdocilis. Is docti piique sacerdotis nomen invenit apud Seminarii universitatem atque Episcopum, qui eum anno 1923 in canonicorum Capitulum ascripsit; cumque ab anno 1926 in ipso Seminario munus rectoris efficeret, Eucharistiae cultu et Immaculatae Virginis Deiparae veneratione necnon Ecclesiae Summique Pontificis amore fidelitatem erga vocationem alumnis, quibus rerum humanarum contemptionem adderet, paterna benevolentia inculcavit. Munus alios docendi Servus Dei in simplicitate, perseverantia et diligentia exsequebatur, idem magister ac testis: nam inde ab adulescentia cum Deo ambulavit, idemque humanas, christianas et sacerdotales virtutes exercuit, et in via sanctitatis assidue processit, egregium animi candorem singularemque perfectionem evangelicam adipiscens. Divinae gratiae docilis et a peccatis licet venialibus abhorrens, Dei voluntatem pariterque Ecclesiae praecepta superiorumque mandata diligenter effecit, qui liturgia, cultu eucharistico et mariali, Divino Verbo, oratione, necnon aeternis rebus meditandis animoque contemplandis, theologiae studiis excolendis et pastorali navitate multiplici fidei, spei et caritatis lampades aluit. Sacerdotali missioni quo responderet praestantius, plurimis associationibus suum dedit nomen, sed cordi praesertim habuit Apostolicam sacerdotum dioecesa-

norum Unionem, cuius cotidiana officia fideliter observabat. Speciosa is minime gessit, qui autem occultus singula sacerdotalia munia summa cura praestavit, omni tempore vitae suae testificatus se Deum ex tota fortitudine sua diligere seque proximum prout Divinus nos Magister edocuit (cf. *Io* 15, 12). Caritate compulsus, vigesimo quinto sacerdotalis muneris natali, Sacratissimo Cordi lesu, patienti et multae misericordiae, victimam se obtulit, cum postea se tamquam parvam magnae Hostiae, Iesu nempe Crucifixo, haberet insertam. Prudentiam in apostolatu exercuit singularem, ipsamque cum sacrorum alumnos efformans tum rationes magis ad suam aliorumque sanctificationem deligens opportunas, quippe qui iustus, rebus adversis constans, amabilis, mitis, sui compos, temperans, pauper, castus et oboediens est inventus. De illo quondam suo philosophiae et theologiae praeceptore recordatus est Ioannes Baptista Montini Archiepiscopus, qui postea ad Summi Pontificatus munus evectus nomen sibi imposuit Pauli PP. VI, cum haec scriberet: «Magnae virtutis presbyter fuit Moyses Tovini, [...] isque presbyter, ut decet, absolutus, [...] qui ad explorandas spirituales divitias eiusmodi vivendi rationis, quae consulto modestiori oboedientiae suique oblationis rerumque humanarum contemptionis consilio contineretur, promptissimus erat. Quae quidem facultas, ut opinor, eum omnibus statuit exemplo, eademque magistrum effecit, quem nunc porro exemplar, memoria dignum et aemulatione, proponit». Qui mundanum hoc iter mira celeritate conficiens, locum operae suae usque ad extremos dies obtinuit, manifestis infirmitatis indiciis neglectis: nam, cum paucos dies in Brixiensi valetudinario *Fatebenefratelli* cubuisset, matutino tempore die 28 mensis Ianuarii anno 1930 sancte in Domino obdormivit. Labentibus annis eiusmodi fama sanctitatis aucta est atque confirmata, quam ob rem Episcopus Brixiensis Causae beatificationis et canonizationis initium fecit. Vis iuridica Processus Ordinarii Informativi, annis 1963-1972 celebrati, subsequentisque Processus Cognitionalis (annis 1982-1984), agnita est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 14 mensis Iunii anno 1991 latum. Positione praeparata, disceptatum est secundum normas utrum Servus Dei virtutes gradu heroico exercuisset. Die 8 mensis Novembris anno 2002 habitus est, felici cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 7 mensis Ianuarii huius anni congregata, audita relatione Em.mi Card. Augustini Cacciavillan, Causae Ponentis, confessi sunt Moysen Tovini presbyterum virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse. Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione,

Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Moysis Tovini, sacerdotis dioecesis Brixiensis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 12 mensis Aprilis A. D. 2003.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CENOMANENSIS

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Basilii Antonii Mariae Moreau sacerdotis fundatoris Congregationum Religiosorum et Religiosarum a S. Cruce (1799-1873)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Ecce Deus salutis meae; fiducialiter agam et non timebo » (*Is* 12, 2).

Servus Dei Basilius Antonius Maria Moreau, de instrumentis humanisque praesidiis diffidens, in Domino propriam spem reposuit et ab Ipso opportuna firmatus est fortitudine ad innumeras oppetendas difficultates gravesque contumelias superandas. Cum vero opus exsequeretur historico illo tempore post Gallicani rerum eversionem, ad spiritualem Ecclesiae renovationem efficaciter contulit, assiduam adhibens curam de missionibus ad populum, de christiana iuvenum institutione nec non de pluribus caritatis operibus. Ad stabilitatem et continuationem sui operis confirmandas, duos ramos condidit,

virorum scilicet et mulierum, novae familiae religiosae, quae appellatur Congregatio Religiosorum et Religiosarum a Sancta Cruce. Hic verus Christi testis die 11 mensis Februarii anno 1799 in loco vulgo *Laigné-en-Belin* (*Sarthe*, in Gallia) e mercatorum familia natus est. Apud suos christianis moribus institutus est et a suo parocho, praeter catecheticam instructionem, litterarum rudimenta didicit. Deinde Collegium loci *Château-Gontier* ingressus est et postea Cenomanum se contulit, ubi in Seminario philosophicis et theologicis studiis se dedit. Sacerdotali auctus est ordinatione die 12 mensis Augusti anno 1821 et, ad formationem perficiendam, a suo Episcopo missus est in Seminarium Sancti Sulpicii, Lutetiae Parisiorum, ibique biennium moratus est. Cenomanum regressus, officium assumpsit docendi philosophiam, theologiam dogmaticam et Sacram Scripturam; eodemque tempore assiduam exsecutus est pastoralem actuositatem. Sollicitus de Regno Dei deque animarum salute, mense Augusto anno 1835 societatem instituit sacerdotum dioecesanorum ad parochos sustinendos in ministerio praedicationis praesertim apud regiones rurales. Sed nondum pauci abierant dies, cum, de Episcopi mandato, regimen suscepit Instituti Fratrum Sancti Ioseph, quod quindecim ante annos a quodam sacerdote eiusdem dioecesis, Iacobo Francisco Dujarié, conditum fuerat, cuius finis erat elementariam curare institutionem puerorum in vicis regionis morantium. Servus Dei suam sacerdotum societatem coniunxit cum coetu Fratrum Sancti Ioseph, quod die 1 mensis Martii anno 1837 per sic dictum « Actum Fundamentalem » ad rem perduxit. Ita fundamenta iecit Congregationis a Sancta Cruce, destinatae ad subveniendum pastoralibus et institutoriis necessitatibus Ecclesiae in Gallia, quae Ecclesia haud plures ante annos saeva rerum eversione vastata erat. Anno 1838 Servus Dei Regulam Vitae tradidit etiam nonnullis mulieribus quas congregaverat ad curam presbyteris et fratribus a Sancta Cruce praestandam. Iisdem munera commisit domum curandi et infirmos in suis institutis educationis; postea ad didacticam actionem eas promovit. Die 15 mensis Augusti anno 1840 Servus Dei, primus presbyter novae Congregationis a Sancta Cruce, vota religiosa publice emisit. Eius sodales presbyteri, fratres et sorores vulgo sunt appellati « Salvatoriani », « Iosephini » et « Marianitae » a Sancta Cruce. Labente tempore, de Sanctae Sedis rogatu, coetus sororum mutatus est in Congregationem sui iuris sororesque appellatae sunt « Marianitae a Sancta Cruce »; quam Congregationem Sancta Sedes approbavit anno 1867, dum Institutum virorum anno 1857 pontificiam iam adeptum erat approbationem. Opus, a Dei Servo conditum ad evangelicum nuntium diffundendum inter rusticanas regiones et in exteris missionibus nec non ad christianam

tradendam institutionem iuvenibus tam materialiter quam spiritualiter indigentibus, celeriter progressum est, atque per Africam Septemtrionalem et Americanam Continentem propagatum. Conditor eius contulit etiam ad primum orphanotrophium rurale Romae instituendum, optatis annuens Beati Pii IX, qui eum Missionarii Apostolici titulo insigniverat. Attamen, ut amicis Dei et fidelibus Evangelii testibus saepe contingit, Pater Basilius accusationes et improbationes pati debuit. Etenim, aliquot sodales Instituti, cui ipse totis suis viribus vigorem dederat, iniuste accusaverunt eum de vitiosa rerum administratione nec non de tyrannico regimine. Ille itaque, rationem habens de sic stantibus rebus, consilium cepit munus Supremi Moderatoris abdicandi, quod consilium prius a Sancta Sede reiectum fuit ac deinde acceptum. Haec incommoda mira cum serenitate toleravit, solacium inveniens in fide erga Christum, qui iugiter iter eius illuminavit. Revelatis veritatibus firmiter credidit et, per assiduum praedicationis ministerium, harum veritatum cognitionem apud populum Dei magis in dies diffudit. Propriam spiritualitatem nutrivit per Eucharistiam et per Beatissimae Virginis Mariae et Sancti Ioseph devotionem. In vitae decursu semper ad caelestia mentem defixit. Vitam plerumque gerebat ante conspectum Domini, ad quem cogitationes referebat et opera. Dilectio erga Christum impulit eum ad enixam exsequendam actuositatem apostolicam et ad laborem pro Dei gloria animarumque salute frugifere exercendum. Tam exemplo vitae quam scriptis omnes contendit hortari ad quodlibet peccati genus repellendum. Vir indefatigabilis in opere, innumera pertulit sacrificia in bonum proximi, in quo Divini Redemptoris vultum contuebatur. Prae neglegentia aliquot sodalium suae Congregationis, qui graves nummarias difficultates attulerunt ei, prudentia iustitiaeque sensu ita egit, ut bonam Instituti famam tuendam semper curaverit atque legitima creditorum iura explenda. Leges Ecclesiae accurate servavit et Regulam Operis ab ipso conditi. Miro sui ipsius dominatu propriam indolem potius vehementem continere potuit. Sobriam vitam gessit et rigidam, voluntarias castigationes addens iis iam in ecclesiastica disciplina praescriptis. Patientia et altissimo humilitatis spiritu innumeras subiit res adversas et aegritudines. Tempore quo Gallicanismus admodum diffundebatur, apertam exhibuit erga Petri Cathedram fidelitatem. Perseveranter egit in consiliis moderatoris spiritus sequendis. A rebus terrenis se alienavit et exemplar exstitit castitatis. Extremis vitae annis in apostolatum tamquam presbyter subsidiarius incubuit. Cenomani animam Domino tradidit die 20 mensis Ianuarii anno 1873 sed, priusquam aeternam reciperet mercedem, omnibus qui diuturne obstiterant ei aequo animo ignovit.

Sanctitatis fama erumpente, Episcopus Cenomanensis Causam incohavit beatificationis et canonizationis, Processum instruens Ordinarium Informativum inter annos 1947-1950. Decreto super Causae Introductione die 2 mensis Maii anno 1955 edito, annis 1955-1957 instructus est Processus Apostolicus. Iuridicam harum Inquisitionum canonicarum validitatem agnovit Congregatio Rituum per decretum die 23 mensis Octobris anno 1959 vulgatum. Post sessionem Consultorum Historicorum quae facta est die 6 mensis Decembris anno 1994, disceptatum est, ut de more, num Servus Dei virtutes heroicum in modum exercuisset. Die 31 mensis Ianuarii anno 2003 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum omnibus faventibus suffragiis. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria congregati die 18 mensis Martii anno 2003, audita relatione Ponentis Causae, Exc.mi D.ni Aemilii Eid, Episcopi titulo Sarepteni Maronitarum, edixerunt Servum Dei Basilium Antonium Mariam Moreau in virtutibus theologalibus, cardinalibus eisque adnexis exercendis heroicum gradum attigisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Basilii Antonii Mariae Moreau, sacerdotis, fundatoris Congregationum Religiosorum et Religiosarum a S. Cruce, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 12 mensis Aprilis A. D. 2003.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CARTHAGINENSIS IN HISPANIA

Beatificationis et canonizationis ven. Servae Dei Pietatis a Cruce (in saec.: Thomasiae Ortiz Real) fundatricis Congregationis Sororum Salesianarum S. Cordis Iesu (1842-1916)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Dei Serva Pietas a Cruce (in saec.: Thomasia Ortiz Real) nata est die 12 mensis Novembris anno 1842 in pago v. d. *Bocairente* in archidioecesi Valentina, in Hispania. Iam ab infantia se Domino consecraturam optavit, sed pater eius non probavit. Ideo intra domesticos parietes manens, precibus operibusque pietatis, longe a qualibet ambitione se dedit. Quotiescumque potuit, ingressa est in varia instituta religiosa, sed semper ei propter infirmam valetudinem exeundum fuit. Anno 1884 *Pueblae de Soto* Congregationem constituit Tertiariarum quae postea eam reliquerunt. Anno 1890 Alcantarillae fundavit Congregationem Sororum Salesianarum S. Cordis Iesu, quibus praefuit sapienter ac sollicite usque ad annum 1914. Onusta meritis et sanctitatis fama circumdata, mortua est die 26 mensis Februarii anno 1916. Summus Pontifex Ioannes Paulus II, die I mensis Iulii anno 2000, Dei Servam heroice exercuisse virtutes theologales, cardinales iisque adnexas agnovit.

Eius beatificatione instante, Postulatio Causae supposuit sententiae huius Congregationis de Causis Sanctorum miram putatam sanationem Sororis Eleonorae Rodríguez Barranco, religiosae Congregationis conditae a Serva Dei quam diximus. Ista Soror, novitiatus tempore, propter casum, vulnus excepit in sede sacrali lumborum, quod postea ei adsiduos excitavit dolores, qui anno 1987 increbuerunt specie ischiadici doloris duo latera habentis maiore ex parte sinistra cum mutationibus libramenti. Anno 1988 manifesta apparuit hernia disci in sede L5-S1 quamobrem sectioni chirurgicae subiecta est die 4 mensis Decembris eiusdem anni. Vesica aracnoidhea atque haematoma calcificatum declarata sunt. Adhibita est laminectomia decomprimens cum exstirpatione vesicae. Vulnus operatorium non perfecte coiit. Etiam si novus conatus suturae captus est, eius pars inferior aperta mansit et copiosum liquorem effudit. Quae cum ita sint, Soror assiduo capitis dolore maxime cervicis et artuum inferiorum cruciabatur. Ad fistulam toliendam secernentem, chirurgus molitus erat idoneam sectionem chirurgicam. Interea Soror aegra eiusque communitas religiosa auxilium divinum intercedente Serva Dei Pietate a Cruce advocare coeperant.

Die 9 mensis Ianuarii anno 1989, sacrum novendiale inceperunt Matri Conditrici et, die subsequenti, ante discessum ad Cordubam, ubi chirurgica operatio futura esset, imposita est reliquia eiusdem Matris parti aegrotae Sororis Eleonorae, quae in itinere sensit liquoris exitum finem habuisse et bonam esse valetudinem. In valetudinario medici fistulam perfecte siccam esse animadverterunt. Soror domum rediit et die sequenti fistula clausa et perfecte sanata apparuit. De hisce omnibus rebus in Curia Cordubensi Inquisitio dioecesana instructa est cuius auctoritas recognita est ab huius Dicasterii decreto diei 13 mensis Decembris anno 1996. Consilium Medicorum in consessu diei 8 mensis Maii anno 2002 affirmavit sanationem maxime celerem, completam, stabilem sine morbi postumis signis et quod ad scientiam pertinet inexplicabilem fuisse.

Die 13 mensis Decembris eiusdem anni effectus est Peculiaris Congressus Consultorum Theologorum et die 18 mensis Februarii huius anni 2003 facta est Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Excellentissimo D. Xaverio Echevarría Rodríguez, Episcopo tit. Cilibiensi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Pietatis a Cruce (in saec.: Thomasiae Ortiz Real), Fundatricis Congregationis Sororum Salesianarum S. Cordis Iesu, videlicet de maxime rapida, completa ac stabili sanatione Sororis Eleonorae Rodríguez Barranco a «fistola liquorale post-laminectomia lombare, di grossa portata, con continua perdita di liquor per 19 giorni».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 12 mensis Aprilis A. D. 2003.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit praesules:

die 1 Augusti 2003. — Cathedrali Ecclesiae Humensi -Thibodensi , Exc.-mum P.D. Samuelem G. Jacobs, hactenus Episcopum Alexandrinum.

— Cathedrali Ecclesiae Carolinanae, R.D. Petrum Iosephum Jugis, e clero eiusdem dioecesis, ibique Vicarium iudicialem et curionem paroeciae Nostrae Dominae a Lapurdo in oppido vulgo Monroe.

— Cathedrali Ecclesiae Bruklyniensi, Exc.mum P.D. Nicholaum A. Di Marzio, hactenus Episcopum Camdensem.

die 2 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Elbingensi Exc.mum P.D. Ioannem Styrna, hactenus Episcopum titularem Aquipendiensem et Auxiliarem dioecesis Tarnoviensis.

— Cathedrali Ecclesiae Calatanisiadensi, R. D. Marium Russotto, e clero dioecesis Ragusiensis, hactenus aedis regionalis «Mater Boni Pastoris» pro formatione permanenti cleri Praesidem atque Conferentiae episcopalis Siciliae Secretarium adiunctum.

— Metropolitanae Ecclesiae Fodianae-Bovinensi, Exc.mum P. D. Franciscum Pium Tamburrino, O.S.B., Archiepiscopum-Episcopum emeritum dioecesis Dianensis-Policastrensis, hactenus Secretarium Congregationis pro Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum.

die 6 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Georgii Terrae Novae, cui unitur «in persona Episcopi» Ecclesia Labradorpolitana-Scheffervillensis Exc.mum P.D. Duglasium Crosby, O.M.I., Episcopum huius dioecesis.

— Cathedrali Ecclesiæ Engativensi, noviter erectæ, Exc. mum P.D. Hectorem Aloisium Gutiérrez Pabón, hactenus Episcopum Chiquinquirensem.

— Cathedrali Ecclesiæ Soachaënsi, noviter erectæ, Exc.mum P.D. Danielem Caro Borda, hactenus Episcopum titularem Rusubisiritanum et Auxiliarem archidioecesis Bogotensis.

die 6 Augusti 2003. — Cathedrali Ecclesiæ Fontibonensi, noviter erectæ, Exc.mum P.D. Henricum Sarmiento Angulo, hactenus Episcopum titularem Crepedulensem et Auxiliarem archidioecesis Bogotensis.

die 9 Augusti. — Cathedrali Ecclesiæ Maturinensi, R.D. Henricum Pérez Lavado, e clero archidioecesis Maracaibensis, ibique Seminarii institutorem et parochum.

die 13 Augusti. — Metropolitanæ Ecclesiae Bisuntinae Exc.mum P.D. Andream Lacrampe, hactenus Episcopum Adiacensem.

die 2 Septembris. — Episcopum Auxiliarem dioecesis Vapincensis Exc.-mum P.D. Ioannem Michaëlem Di Falco, Episcopum titularem Vallitanum, hactenus Auxiliarem archidioecesis Parisiensis.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

18 luglio 2003 Mons. Antonio Arcari, Arcivescovo tit. eletto di Ceciri, *Nunzio Apostolico in Honduras.*

31 » » S.E. Mons. Osvaldo Padilla, Arcivescovo tit. di Pia, *Nunzio Apostolico in Costa Rica.*

4 agosto » S.E. Mons. Francisco-Javier Lozano, Arcivescovo tit. di Peñafiel, *Nunzio Apostolico in Croazia.*

5 » » Mons. Eliseo Antonio Ariotti, Arcivescovo tit. eletto di Vibiana, Nunzio Apostolico in Camerun, *Nunzio Apostolico in Guinea Equatoriale.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

16 giugno 2003 Le LL.EE. i monsignori: Peter Turang, Arcivescovo di Kupang; Angelo Massafra, Arcivescovo di Shkodre; John Baptist Odama, Arcivescovo di Gulu; Buti Joseph Tihagale, Arcivescovo-Vescovo di Johannesburg; Andreas Choi Chang-mou, Arcivescovo di Kwangju; Théodore-Adrien Sarr, Arcivescovo di Dakar; Tomasz Peta, Arcivescovo dell'Arcidiocesi di Maria Santissima in Astana; Paulino do Livramento Évora, Vescovo di Santiago de Cabo Verde; Bruno Bertagna, Vescovo tit. di Drivasto; José de Jesùs Quintero Diaz, Vescovo tit. di Chimera, Vicario Apostolico di Leticia; John Tong Hon, Vescovo tit. di Bossa, Ausiliare di Hong Kong; e i Reverendi: mons. Juan Esquerda Bifet, mons. Mario Marchesi, sac. Saturnino Dias, p. Fidel González Fernández, M.C.C.I., sac. Jan Gorski, sac. Dimitrios Salachas, suor Elisabetta Adamiak, *Consultori della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli « ad quinquennium ».*

» » » Le LL.EE. i monsignori: Michael Rozario, Arcivescovo di Dhaka; Michel-Marie Bernard Calvet, Arcivescovo di Nouméa; Gabriel Zubeir Wako, Arcivescovo di Khartoum; Laurent Monsengwo Pasinya, Arcivescovo di Kisangani; Albert Kanene Obiefuna, Arci-

vescovo di Onitsha; Medardo Joseph Mazombwe, Arcivescovo di Lusaka; Simon Ntamwana, Arcivescovo di Gitega; Brian James Barnes, Arcivescovo di Port Moresby; Jean-Baptist Pham Minh Mân, Arcivescovo di Thành-Phô Hô Chí Minh; Giovanni Bernardo Gremoli, Vescovo tit. di Masuccaba, Vicario Apostolico di Arabia; Jean-Gabriel Diarra, Vescovo di San; Anthony Theodore Lobo, Vescovo di Islamabad-Rawalpindi; Philippe Ouédraogo, Vescovo di Ouahigouya; i Reverendi: mons. Pio Vito Pinto; mons. Ambrogio Spreafico; p. Jesús Castellano Cervera, O.C.D.; mons. Giuseppe Cavallotto; p. Velasio De Paolis, C.S.; p. Anastasius Disch, O.F.M. Cap.; p. Gianfranco Ghirlanda, S.I.; p. Jesús López-Gay, S.I; p. Agostino Montan, C.S.I.; p. Francesco Pavese, I.M.C.; sac. Luc Van Looy, S.D.B.; suor Giuseppina Tresoldi, S.M.C.; e il prof. Gaspare Mura, *Consultori della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli « in aliud quinquennium »*.

30 giugno 2003 Le LL.EE. i monsignori Daniel Mark Buechlein, Arcivescovo di Indianapolis; Flavio Calle Zapata, Arcivescovo di Ibagué; Sémus Hegarty, Vescovo di Derry; Raimond Leo Burke, Vescovo di La Crosse; mons. Fernando Ocáriz; p. Luis Garza Medina, L.C.; mons. Giacomo Incitti; sac. Juan Ignacio Arrieta Ochoa de Chinchetru; mons. Marcello Bordoni; sac. Vittorio Gambino, S.D.B.; Sac. Libero Gerosa; sac. Jan Hendriks; p. André Manaranche, S.I.; mons. Luigi Mistò; sac. Francesco Moraglia; p. Nikolaus Schöch, O.F.M.; p. Antonio Sicari, O.C.D.; Sac. Antoon Wullepit; dott. Manfred Lütz; dott. William E. May, *Consultori della Congregazione per il Clero, « ad quinquennium »*.

» » » Le LL.EE. i monsignori Eduardo Davino, Vescovo di Palestrina; Marcello Semeraro, Vescovo di Oria; i Reverendi: mons. Juan Esquerda Bifet; mons. Antoni Stankiewicz; mons. Kenneth E. Boccafola; mons. Giovanni Carrù; mons. Antonio Miralles; p. Jean Galot, S.I.; p. Velasio De Paolis, C.S.; sac. Cesare Bissoli, S.D.B.; p. Gianfranco Ghirlanda, S.I.; il prof. Giorgio Feliciani; l'avv. Paolo Sciumè; il dott. comm. Francesco Silvano, *Consultori della Congregazione per il Clero « in aliud quinquennium »*.

11 luglio 2003 Mons. Piero Coda, *Prelato Segretario della Pontificia Accademia di Teologia*.

2 agosto » S.E. mons. Domenico Sorrentino, Arcivescovo Amministratore Apostolico della prelatura di Pompei e Delegato Pontificio per quel Santuario della Beata Vergine

del Santo Rosario, *Segretario della Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti «ad quinquennium».*

Protonotari Apostolici soprannumerari

23	maggio	2003	Mons. Lido Ciccolini (Fabriano-Matelica)
4	giugno	»	Mons. Jaime Fraga Fernàndez (Caracas)
9	»	»	Mons. Tertulian Langa (Cluj-Gherla dei Romeni)
14	»	»	Mons. Jose Gamboa (Jaro)
»	»	»	Mons. Carlo Cascone (Tursi-Lagonegro)
21	»	»	Mons. Kazimierz Piwowarski (Płock)

Prelati d'onore di Sua Santità

4	giugno	2003	Mons. Peter Grant (Leeds)
»	»	»	Mons. Michael J. Mellone (Washington)
9	»	»	Mons. Ioan David (Cluj-Gherla dei Romeni)
»	»	»	Mons. Alexandru Nicula (Cluj-Gherla dei Romeni)
»	»	»	Mons. Vasile Femea (Cluj-Gherla dei Romeni)
»	»	»	Mons. Ioan M. Bota (Cluj-Gherla dei Romeni)
»	»	»	Mons. Ioan Vasile Botiza (Cluj-Gherla dei Romeni)
»	»	»	Mons. Gheorghe Breharu (Cluj-Gherla dei Romeni)
»	»	»	Mons. Vasile Gherman (Cluj-Gherla dei Romeni)
»	»	»	Mons. Gheorghe Neamiu (Cluj-Gherla dei Romeni)
»	»	»	Mons. Matei Boilà (Cluj-Gherla dei Romeni)
»	»	»	Mons. Grigore Zàgrean (Cluj-Gherla dei Romeni)
9	giugno	»	Mons. Mircea Irimie (Cluj-Gherla dei Romeni)
»	»	»	Mons. Tiberiu Lazàr Marfian (Cluj-Gherla dei Romeni)
»	»	»	Mons. Bruno Ginelli (Crema)
»	»	»	Mons. Pedro Ignacio Puentes Suarez (Málaga-Soata)
»	»	»	Mons. Edmund Podzielny (Opole)
»	»	»	Mons. Jean-Marc Robillard (Saint-Hyacinthe)
10	»	»	Mons. Giancarlo Anderlini (Assisi-Nocera Umbra-Gualdo Tadino)
»	»	»	Mons. Georgius Henricus Szymerowski (Ełk)
»	»	»	Mons. Paolo Giordano (Trapani)
14	»	»	Mons. Josef Mass (München und Freising)
»	»	»	Mons. Mariadas Joseph (Trivandrum dei Latini)
21	»	»	Mons. Amado E. J. Römer (Willemstad)
»	»	»	Mons. Santiago Ollaquindia Aguirre (Ciudad Guayana)
»	»	»	Mons. Nathaniel C. Obiagba (Onitsha)
»	»	»	Mons. Ferdinand Onuorah Ugwueze (Onitsha)
»	»	»	Mons. Vincent John Nweke Madike (Onitsha)
27	»	»	Mons. Claudio Sale (Jaro)
30	»	»	Mons. Idilio Lazzeri (San Miniato)

Cappellani di Sua Santità

2	giugno	2003	Il sac. Otto Wengenmaier (Fulda)
»	»	»	Il sac. Michael Frhr. von Lüninck (Fulda)
»	»	»	Il sac. Diego Giovanni Ravelli (Velletri-Segni)
4	»	»	Il sac. Natale Azzan (Concordia-Pordenone)
»	»	»	Il sac. Klaus Krämer (Rottenburg-Stuttgart)
»	»	»	Il sac. Robert Cary Hill (Washington)
»	»	»	Il sac. Robert Louis Keesler (Washington)
9	»	»	Il sac. Joseph Lee Jak-Ro (Inch'ón)
»	»	»	Il sac. Leon Cibwabwa (Mbujimayi)
»	»	»	Il sac. Andreas Hanich (Opole)
»	»	»	Il sac. Ioachimus Waloszek (Opole)
»	»	»	Il sac. Patrick Jacquin (Paris)
»	»	»	Il sac. Andrzej Miszewski (Pelplin)
»	»	»	Il sac. Franz Hofstetter (Sankt Pölten)
»	»	»	Il sac. Josef Peham (Sankt Pölten)
»	»	»	Il sac. José Moacir Pessanha (São João Maria Vianney)
»	»	»	Il sac. Emanuel José Possidente (São João Maria Vianney)
»	»	»	Il sac. Eduardo Athayde (São João Maria Vianney)
10	»	»	Il sac. Clodoaldo de Paiva (Amparo)
»	»	»	Il sac. Angelo Monconi (Assisi-Nocera Umbra-Gualdo Tadino)
»	»	»	Il sac. Luigi Merli (Assisi-Nocera Umbra-Gualdo Tadino)
»	»	»	Il sac. Aldo Maialoni (Assisi-Nocera Umbra-Gualdo Tadino)
»	»	»	Il sac. Adelino De Sousa Lopes (Braga)
»	»	»	Il sac. Gerald Eugenio Cadieres Araujo (Maracaibo)
»	»	»	Il sac. Rosevaldo Caldeira de Souza (Palmeira dos Índios)
»	»	»	Il sac. Delorizano Marques da Rocha (Palmeira dos Índios)
»	»	»	Il sac. Petrucio Bezerra (Palmeira dos Índios)
»	»	»	Il sac. José Magno do Nascimento (Patos de Minas)
10	»	»	Il sac. Juan Rodríguez Orengo (Foncé)
»	»	»	Il sac. José Rafael Escobar Escobar (Quito)
»	»	»	Il sac. Lucio Ruiz (Santa Fé de la Vera Cruz)
»	»	»	Il sac. Bogdan Krawczyk (Siedlce)
»	»	»	Il sac. Mieczysław Lipniacki (Siedlce)
»	»	»	Il sac. Kazimierz Niemirka (Siedlce)
»	»	»	Il sac. Giovanni Caprini (Tortona)
»	»	»	Il sac. Francesco Giorgi (Tortona)
14	»	»	Il sac. Domenico Di Salvia (Capua)
»	»	»	Il sac. Andrea Monaco (Capua)
»	»	»	Il sac. Vincenzo Schiavone (Capua)
»	»	»	Il sac. Jacques Thomas (Dijon)
»	»	»	Il sac. Wolfgang Huber (München und Freising)
»	»	»	Il sac. Bernhard Schömann (München und Freising)
»	»	»	Il sac. Werner Eichinger (München und Freising)
»	»	»	Il sac. Karl Ellmann (München und Freising)
»	»	»	Il sac. Giovanni Varriale (Nola)

14	giugno	2003	Il sac. Raffaele Menzione (Nola)
»	»	»	Il sac. A. George Paul (Trivandrum dei Latini)
»	»	»	Il sac. James Culas (Trivandrum dei Latini)
16	»	»	Il sac. Paolo Rizzi (Vigevano)
20	»	»	Il sac. Jozef Hrtus (Banská Bystrica)
»	»	»	Il sac. John G. Stillrnank (Madison)
»	»	»	Il sac. Roberto Avellana Olaguer (Manila)
21	»	»	Il sac. Bonìface Asuzu (Onitsha)
»	»	»	Il sac. Basii Onwuasomba (Onitsha)
»	»	»	Il sac. Clement Okpala (Onitsha)
»	»	»	Il sac. Emmanuel Nwosu (Onitsha)
27	»	»	Il sac. Emmanuel Celeste Trance (Jaro)
»	»	»	Il sac. Jose Marie Delgado (Jaro)
»	»	»	Il sac. Meliton Bedia Oso (Jaro)
»	»	»	Il sac. Sozonte Borro Catalana (Jaro)
»	»	»	Il sac. Agripino Soquena, Jr. (Jaro)
30	»	»	Il sac. Melchiorre Vutera (Agrigento)
»	»	»	Il sac. Gaetano Di Liberto (Agrigento)
»	»	»	Il sac. Salvatore Muratore (Agrigento)
»	»	»	Il sac. Saverio Taffari (Agrigento)
»	»	»	Il sac. Pedro Narbona Bugueno (Santiago de Chile)
»	»	»	Il sac. Juan de la Cruz Suárez Campos (Santiago de Chile)
»	»	»	Il sac. Ignacio Munoz Munoz (Santiago de Chile)
»	»	»	Il sac. Stanislao Karp (Wrocław)
»	»	»	Il sac. Mariano Biskup (Wrocław)
»	»	»	Il sac. Joanni Kisz (Wrocław)

ONORIFICENZE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha conferito:

La Commenda con Placca dell'Ordine di San Gregorio Magno

12	aprile	2003	Al sig. José Barroso Chàvez (*Messico*)
12	giugno	»	Al sig. Francesco Ercolano (*Italia*)
24	»	»	Al sig. Peter Sonnenhol (*Germania*)
»	»	»	Al sig. Abdulla F. Vaia (*Libia*)
27	»	»	Al sig. Gustavo Selva (Roma)

La Commenda dell'Ordine di San Gregorio Magno

11	marzo	2003	Al sig. Alberto Clarizio (Salerno - Campagna - Acerno)
12	aprile	»	Al sig. Guillermo Ballesteros Chàvez (Netzahualcóyotl)
21	giugno	»	Al sig. Cari James Melvey (*Australia*)
30	»	»	Al sig. Amedeo Brogli (Roma)

Il Cavalierato dell'Ordine di San Gregorio Magno

12	aprile	2003	Al sig. Héctor Maria Uriarte de Uriarte (Netzahualcóyotl)
4	giugno	»	Al sig. Andrea Ranieri (Roma)
9	»	»	Al sig. Raymond Najjar (Bairut dei Latini)
»	»	»	Al sig. Petre Pitea (Cluj-Gherla dei Romeni)
16	»	»	Al sig. Alfio Morfini (Roma)
21	»	»	Al sig. John Chikezie Odike (Onitsha)
27	»	»	Al sig. Assaad Renno (Saìda dei Maroniti)
»	»	»	Al sig. Louis Moulas (Toulouse)
»	»	»	Al sig. Onelio Pratesi (Urbino-Urbania-Sant'Angelo in Vado)
»	»	»	Al sig. Giancarlo Di Ludovico (Urbino-Urbania-Sant'Angelo in Vado)
»	»	»	Al sig. Antonio Bruscoli (Urbino-Urbania-Sant'Angelo in Vado)

La Croce di Dama dell' Ordine di San Gregorio Magno

9	giugno	2003	Alla sig.ra Viorica Olteanu (Cluj-Gherla dei Romeni)
»	»	»	Alla sig.ra Eugenia Fàrcas (Cluj-Gherla dei Romeni)
»	»	»	Alla sig.ra Maria Boilà (Cluj-Gherla dei Romeni)
»	»	»	Alla sig.ra Zoifa Craciun (Cluj-Gherla dei Romeni)
27	»	»	Alla sig.ra Agnese Vastano (Urbino-Urbania-Sant'Angelo in Vado)

La Commenda dell'Ordine di San Silvestro

12	aprile	2003	Al sig. Hans Van Luit (Netzahualcóyotl)
23	»	»	Al sig. Antonio Zini (Reggio Emilia-Guastalla)
»	»	»	Al sig. Francesco Camurri (Reggio Emilia-Guastalla)
21	giugno	»	Al sig. Bernward Beverie (München und Freising)

Il Cavalierato dell'Ordine di San Silvestro

12	maggio	2003	Al sig. Johannes Henricus Arnoldus Van den Berk ('s-Hertogenbosch)
9	giugno	»	Al sig. Virginio Faggian (Brescia)
»	»	»	Al sig. Eugen Lupu (Cluj-Gherla dei Romeni)
»	»	»	Al sig. Ignatz-Wessel Freiherr von Landsberg-Velen (Münster)
10	»	»	Al sig. Giuseppe Maiorano (San Severo)
20	»	»	Al sig. Paul Kathol (Bamberg)
»	»	»	Al sig. Patrizio Serafini (Frascati)
»	»	»	Al sig. Paolino Perdisa (Imola)
»	»	»	Al sig. Volodymyr Kozhan (Lviv degli Ucraini)
»	»	»	Al sig. Nicola Coppola (Sabina-Poggio Mirteto)

20	giugno	2003	Al sig. Alessandro Tornabene (Velletri-Segni)
»	»	»	Al sig. Gianfranco Siniscalchi (Velletri-Segni)
21	»	»	Al sig. John Chike Enweonwu (Onitsha)
»	»	»	Al sig. Victor N. Orakwue (Onitsha)
»	»	»	Al sig. Ejima Chika Basii Joseph Akanezirigwe (Onitsha)
»	»	»	Al sig. Remigius Emeka Mbanugo (Onitsha)
»	»	»	Al sig. Pasquale Gentile (Oppido Mamertina-Palmi)
»	»	»	Al sig. Francesco Tramonte (Oppido Mamertìna-Palmi)
»	»	»	Al sig. Franco Grasso (Roma)
»	»	»	Al sig. Corrado Trevisan (Roma)
»	»	»	Al sig. Gerardo Corrado (Roma)
»	»	»	Al sig. Fausto Panci (Roma)
»	»	»	Al sig. Mario Placidi (Roma)
27	»	»	Al sig. Benno Zierer (Regensburg)
»	»	»	Al sig. Adolf Beck (Regensburg)
»	»	»	Al sig. Torquato Principi (Roma)
»	»	»	Al sig. Petrus Gerardus Vink (Rotterdam)
»	»	»	Al sig. Salvatore Sudano (Urbino-Urbania-Sant'Angelo in Vado)
»	»	»	Al sig. Wilmer Zanghirati (Urbino-Urbania-Sant'Angelo in Vado)

La Croce di Dama dell'Ordine di San Silvestro

9	giugno	2003	Alla sig.ra Doina Cornea (Cluj-Gherla dei Romeni)
»	»	»	Alla sig.ra Viorica Lascu (Cluj-Gherla dei Romeni)
»	»	»	Alla sig.ra Magda Pandrea (Cluj-Gherla dei Romeni)
»	»	»	Alla sig.ra Viorelia Doina Lupu (Cluj-Gherla dei Romeni)
20	»	»	Alla sig.ra Filomena Turrini (Imola)
21	»	»	Alla sig.ra Angela N. Orakwue (Onitsha)

NECROLOGIO

17	luglio	2003	Mons. Manuel Franklin da Costa, Arcivescovo em. di Lubango (*Angola*).
21	»	»	Mons. Louis-de-Gonzague Langevin, Vescovo em. di Saint-Hyacinthe (*Canada*).
23	»	»	Mons. Isidore Borecky, Vescovo em. di Toronto degli Ucraini e del Canada Orientale.
27	»	»	Mons. Pío Bello Ricardo, Vescovo em. di Los Teques (*Venezuela*).
28	»	»	Mons. Franco Brambilla, Arcivescovo tit. di Viminacio.
31	»	»	Mons. Abraham Aruliah Somavarapa, Vescovo em. di Cuddapah (*India*).
11	agosto	»	Mons. Demetrio I. Aquino, Vescovo em. di Caacupé (*Paraguay*).
12	»	»	Mons. Antonio Deig Clotet, Vescovo em. di Solsona (*Spagna*).

14	agosto	2003	Mons. Donald R. Lamont, Vescovo em. di Umtali (*Zimbabwe*)
22	»	»	Mons. Charles Van den Ouwelant, Vescovo em. di Surigao (*Filippine*).
29	»	»	Card. Corrado Ursi, del Titolo di San Calisto.
2	settembre	»	Mons. Henry I. Kennedy, Vescovo em. di Armidale (*Australia*).
3	»	»	Mons. Vittorio M. Costantini, Vescovo em. di Sessa Aurunca (*Italia*).
6	»	»	Card. Maurice M. Otunga, del Titolo di San Gregorio Barbarigo alle Tre Fontane.

Recens nuntiatum est Iacobum R. Ham, episcopum titulo Putiensem in Numidia, die 20 m. Decembris a. 2002 de vita decessisse.